

# ORNATISS· IVRECON·

SVLTO SPLENDIDISS·QVE EQVITI AV·

rato, Dn. Lamberto a Briarde præsi Parliamenti Sena-  
tus, cæterisque viris integerrimis, eruditissimisque Con-  
siliarijs magni concilij Cæsarij Machliniæ, fra-  
ter Petrus Crabbe Machliniensis ordi-  
nis diui Francisci de obseruatiã  
S. P. D.



Vm superioribus annis multa passim iactarentur, viri  
spectabiles, ornatissimique, de necessitate habendi concilij  
generalis, ob luem pestiferam in religione Christiana quo-  
rundam improborum hominum temeritate non ita pri-  
dem excitatam, quæ, satore zizaniam procurante, nimium  
(proh dolor) nimiumque inualuit, multoque hæcenus pa-  
rum cautos inuoluit; ecepi non mediocri studio per om-  
nes undique bibliothecas inquirere, ecquid ad veterum, recentiumque syno-  
dorum notitiam pertineret. Quam in re non simplex mihi labor est oblatu-  
s, dum & vetusta exemplaria manu scripta, & recentia typis excusa, parum in-  
ter sese conuenirent, & in utrisque multa passim prætermissa, vel inuerfa vi-  
derentur, confusa ratione temporum, vel imperitia librariorum, vel temerita-  
te, qui dum castigaturos sese mendas librorum arbitrabantur, longius ab  
scopo aberrauerint. Et quanquam viderem hoc, quicquid est negotij, maius  
esse quam vt rem totam possem pro dignitate inuolutam explicare, tentandam ta-  
men existimaui, inuocato illius auxilio, qui dat omnibus affluenter, & nulli  
improperat, vt si rem ad vmbilicum perducere, & eidem colophonem impo-  
nere non liceret, cæteris tamen ansam præbuisse videremur exactius ac lima-  
tius rem ipsam pertractandi, reuocandi que sub incudem. Nam si quid hic no-  
ster labor publicæ studiosorum vtilitati profuturus est (vti certo confidimus  
ac speramus) nihil tamen inde nobis compendij peculiariter postulamus præ-  
ter communem seruatoris nostri Iesu Christi gloriam. Quod si alicubi nos quo-  
que dormitauerimus, vt sunt res omnes hominum imperfectæ, ac memoria  
sane quam labilis, speramus ab optimis, doctissimisque viris facile veniam nobis con-  
cedendam in tanta vetustissimarum rerum perplexitate, ac obscuritate. Quod  
autem duos hæc tomos Conciliorum generalium primum Cæsareæ maie-  
stati dedicauerimus, deinde vestro quoque spectatissimo collegio, quod in  
hisce regionibus inferioris Germaniæ, quod ad administrandam iustitiæ ratio-  
nem attinet, tanti principis ipsissimam imaginem representat, id non alia sane  
ratione fecimus, quam vt meam erga D. V. obseruantiam intelligeretis, quæ ab  
ineunte ætate vna mecum iustum suscepit incrementum. Nec id quidem im-  
merito. Nam quum inter cætera natalis vrbis meæ ornamenta, quæ & plu-  
rima sunt & maxima, nullum tamen sit excellentius atque præclarus, quam quod  
principum beneficio iam olim digna fuerit habita Machlinia, in qua talis  
târusque